BV1749
.T7
BS
1798
v.3

UANL
FONDO
A.B. PÚBLICA DEL ESTADO

TRACTATUS
DE INCARNATIONE.

D. Thom. 3. Part. a Quæst. 1. ad 9.

PROŒMIUM.

In quo recensentur variæ Hæreses circa Incarnationis Mysterium.

HUnc Tractatum S. Thomas in duas partes dividit. Prima est de ipso Incarnationis mysterio, seu de ipsa unione divinitatis & humanitatis, & de his, quæ ad eam consequuntur. Secunda est de his, quæ per ipsum Salvatorem acta sunt; hoc est, de mysteriis vitæ, & mortis ejus. *Hoc magnum pietatis Sacramentum*, juxta Apost. *Hoc ænigma sacratissimum*, juxta Cyrillum Alex. *Hanc mirabilem mixturam*, juxta Aug. tam verè, atque catholicè, tam intelligibiliter, quantum homini licuit, exposuit S. Doctor, ut tèr dum huic operi incumberet, ab ipso Christo meruerit, his vocibus approbari: *Benè scripsisti de me, Thoma.* Duce igitur sancto Doctore, explicationem hujus mysterii, contra quod tot insurrexerunt Hæreses, securi agredimur. Hos varios, ac multiplices errores ipse S. Th. in c. 1. Matth. ad tres classes revocat. Prima est errantium, circa divinitatem Christi. Secunda errantium, circa humanitatem. Tertia errantium, circa utriusque naturæ unionem.

Ad 1. Classem pertinent Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus, & alii, qui solam naturam humanam in Christo agnoscunt; divinam autem, per solam divinæ gloriæ participationem, quam operibus suis promeruit. Cerinthus, a quo Cerinthiani, Simonis Magi descipulus, Apostolis coætaneus, unus fuit ex his, qui anno circiter 69. descendentes de Judæa dogmatizabant Antiochiæ, Circumcisionem, & Legalia necessariò esse observanda. Item unus fuit ex his, qui millenarium Christi regnum, post resurrectionem prædicabant. Docebat insuper, ut refert. Aug. lib. de Hæres. c. 8. *Christum purum hominem fuisse.* Refert autem, S. Polycarpus apud S. Irenæum l. 3. adversas Hæreses c. 3. quod, cum Joannes Apostolus hunc Hæresiarcham, ad Balneum accedentem vidisset, recesserit exclamando: *Fugiamus hinc, ne Balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, subito corruens nos opprimat.* Quo dicto, subito colapsa domus Cerinthum cum sociis oppressit. Ebion, sub Tito Imperatore, & Cleto Romano Pontifice, anno circiter 72. Hæresi Cerinthi addebat, *Christum hominem esse, non ex virgine, sed ex viro, & fœmina natum.* Paulus Samosatenus, a quo Paulianistæ, natione Syrus, Antiochenus Episcopus, vir ante Episcopatum pauper, & mendicus, circa ann. 273. sub Felice I. blasphemabat, *Christum, non semper fuisse, nec ante Mariam virginem extitisse, sed ex eo quò ex Maria natus est, initium habuisse, ac proinde non Deum, sed purum hominem esse.* Teste Aug. lib. de Hæres. c. 44. damnata fuit hæc Hæresis cum suo Auctore in duobus Conciliis Antiochiæ habitis: in quorum 1. Paulus suam fidem simulans Patribus illusit: in 2. autem, de hæresi convictus, & anathemate percussus, a sua sede ejectus est. Photinus, a quo Photiniani, Sirmiensis Episcopus, acris ingenii, ac multæ eruditionis vir, Pauli Samosateni discipulus, circa ann. 347. sub Julio I. eamdem hæresim instauravit, quæ rursùm damnata est in Concilio Mediolanensi eodem anno, & ipse exauctoratus in Sirmiensi anno 351. Elipandus Urgelitanus, & Felix Toletanus Hispani dicebant, Christum non esse Dei filium naturalem, sed adoptivum tantùm: undè consequens erat ipsum non esse verum Deum. Fuit proscriptus iste error in Concilio Forojuliensi anno 791. Ratisbonensi 792. & Francofordiensi 794. Ad hanc Classem revocari possent *Ophitæ*, sive Serpentini, qui 2. sæculo juxta August. libr. de Hæres. cap. 17. eo dementiæ venerant, ut assererent, *serpentem illum, qui primos decepit Parentes, Christum esse*, de cœlo venisse, nobisque tullisse scientiam boni & mali.

Ad 2. Classem pertinent Marcionitæ, & Manichei; qui, cùm dicerent omnem creaturam corpoream esse à malo Deo, seu diabolo, negabant consequentèr, Dei Filium assumpsisse veram carnem, sed tantùm phantasticam, & apparentem, & omnia, quæ de ipso narrantur in Evangelio, pertinentia ad humanam naturam, ut nativitatem, circumcisionem, passionem, mortem, &c. non verè, sed apparentèr tantùm contigisse. Ita etiam Basilides, circa ann. 124. qui dicebat, Simonem Cyrenæum, loco Christi fuisse crucifixum. Ad hanc etiam classem revocatur error Apollinaris. Is fuit patria Laodicænus, vir doctus, filius alterius Apollinaris eruditissimi Presbyteri, qui pro Ecclesia multos edidit libros contra Porphyrium. Dogma hæreticum, quod senior Apollinaris tentaverat, promovit filius ejus circa ann. 367. sub Damaso Rom. Pontifice, nempe, *Christum corpus sumpsisse quidem ex Virgine, sed sine anima.* Postea errorem suum revocans, seu temperans addidit: *Sumpssise quidem animam, sed quæ mente careret; Verbumque Divinum ei fuisse loco mentis.* Ulteriùs progressi Apollinaris discipuli dixerunt, humanitatem esse consubstantialem divinitati, ideoque hanc esse patibilem, & revera passam esse crutiatus, & mortem. Ex S. Athanas. libr. de Incarn. ex S. Epiphan. Hær. 77. Imò, divinam Verbi substantiam in carnem esse conversam. Ex S. Gregor. Nyssen. Opusc. contra Apollinaristas; ex S. Leone ser. 9. de Quadrag. Gennadio libr. de Dogmat. Eccles. c. 2. Tandem Verbum non assumpsisse carnem ex M. Virgine, sed e cœlo attulisse. Ex Gregor. Nazianz. Orat. 46. & aliis. Damnata est hæc hæresis in Concilio Romano sub Damaso, anno 373. in Antiocheno 378. & in 2. Constantinopolitano, anno 381. Ad hanc iterùm Classem revocandus est error Valentini; qui, licèt verum corpus Christum habuisse confiteretur, negabat tamen eum assumpsisse illud ex B. Virgine, sed illud de cœlo allatum transisse per Virginem, quasi per canalem. Hùc iterùm revocandus est error Monothelitarum; qui voluntatem humanam in Christo, negantes solam divinam confitebantur. In hac etiam classe reponendi sunt hodierni Anabaptistæ, qui negant Christum habuisse veram carnem ex Maria virgine assumptam.

Ad 3. Classem pertinet error Nestorii Patriarchæ Constantinopolitani, qui circa ann. 427. sub Theodosio juniore, & Cœlestino I. dogmatizavit, *duas in Christo esse personas: duos esse Christos, unum filium Dei, alterum filium hominis: ac proinde B. Mariam Virginem, non Dei, sed hominis matrem esse; neque esse nominandam Theotochon, sed Christotochon.* Hæc Hæresis a Cyrillo Alex. profligata, damnata fuit cum suo Auctore in Concilio œcumenico Ephesino. Ad eamdem Classem pertinet error Eutychetis; qui circa ann. 441. ut unitatem personæ contra Nestorium propugnaret, in oppositam heresim incidit, *negando duas in Christo naturas, & asserendo carnem in ipso Incarnationis articulo in divinitatem fuisse commutatam, & ex utraque natura divina, & humana unam coaluisse substantiam; sicque Christum, ut Deum fuisse passum.* Hic error fuit damnatus sub Leone I. in Concil. Œcumenico Calcedonensi. Ab hoc errore non multùm abludunt Lutherani; qui dicunt attributa divinitatis communicari carni Christi, consequenter corpus Christi, non secùs ac divinitatem, esse ubique: undè dicti Ubiquistæ. De his Hæresibus saltèm præcipuis latiùs infrà.

DISSERTATIO I.

DE POSSIBILITATE, ET COGNOSCIBILITATE INCARNATIONIS.

INcarnatio idem significat, ac inhominatio: estque *unio seu unitio naturæ humanæ cum divina in una Verbi persona.* Undè Verbum incarnari est hominem fieri, justa, illud Joannis. 1. *Theol. Billuart.* Pars Tertia.

VERBUM CARO FACTUM EST. Quamvis autem natura humana constet carne, & anima, a carne tamen potiùs quàm ab anima hoc Mysterium nomen accepit. 1. Quia nomine carnis

totus homo sæpè in Scriptura significatur, ut Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Luc. 3. *Omnis caro videbit salutare Dei.* Et alibi. 2. Ad commendandam nobis humilitatem Salvatoris, & ejus in homines charitatem, qua motus tam vilem & abjectam carnem ad eos redimendos assumpsit. 3. Quia hoc nomine insinuatur, Deum infirmitates nostras, quæ voce carnis significari solent, assumpsisse. Adde, quòd caro, si vera sit ac viva, sit animata. Hoc vocabulum usurpavit Concil. Nicænum in Symbolo, S. Leo Serm. 2. de Nat. S. Aug. l. 10. de Civit. Dei c. 29. & multi alii Patres.

ARTICULUS I

Utrùm Incarnatio Verbi sit possibilis?

S. Thomas hic omisit quæstionem de possibilitate Incarnationis: qua ratione, non ità constat. Fortè, quia supposita convenientia Incarnationis, quam probat infra, insinuatur ejus possibilitas: vel quia nulla scientia probat, saltem ex necessitate, possibilitatem sui objecti; sed supponit seu per se notam, seu demonstratam in scientia superiori, vel aliunde certam, ut hic supponi debet certa possibilitas Incarnationis per fidem in Doctore Catholico: vel tandem, quia præcipuæ difficultates, quæ militant contra possibilitatem hujus Mysterii, occurrunt & solvuntur in sequentibus quæstionibus. Quia tamen in usu habent Theologi, ut hunc Tractatum à quæstione possibilitatis hujus Mysterii ordiantur, consuetudini morem gerens,

Dico: Incarnatio Verbi est possibilis. Quantum ad fideles facilè prob. ex eo, quòd fide certum sit hoc Mysterium esse peractum; ergo est possibile: ab actu enim ad potentiam valet argumentum affirmativè. Aliundè, quid difficilius unam personam in duabus naturis subsistere, quàm tres personas in una natura, sicut fit in Mysterio SS. Trinitatis? Quantum ad Infideles probatur 1. Illud censeri debet possibile, cujus impossibilitas nullo argumento demonstrativo evinci potest: atqui impossibilitas Incarnationis nullo argumento demonstrativo evinci potest; cum enim sit veritas fidei, & verum non opponatur vero, nullum fieri potest argumentum contra hanc veritatem, quod sit demonstrativum, sed sunt omnia solubilia argumenta, ut patebit ex solutionibus objectionum.

2. Illud censeri debet possibile, in quo nulla apparet contradictio, juxta illud Archangeli ad Mariam Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est omne, quod mente concipi potest. Atqui in Mysterio Incarnationis ex nulla parte apparet contradictio. Non ex parte humanitatis assumptæ; quæ cum sit realiter distincta à propria subsistentia, eaque prior, potest ab ea separari, divina supplente propriam. Neque ex parte Dei assumentis: quia cum subsistentia divina sit infinita, potest terminare non solùm propriam naturam, sed etiam alienam. Neque ex parte unionis: hæc enim non consistit in hoc, quòd duæ naturæ confusæ identificentur; sed quòd, salva integritate utrinsque, humana assumatur ad divinam, cui, quia est summum bonum, communicatio maximè convenit. Ergo.

Hùc etiam faciunt quædam similitudines, licèt imperfectæ: sic substantia spiritualis, anima scilicet rationalis, unitur naturaliter corpori in eodem supposito (*In 3. d. 1. q. 1. art. 1. o.*) Ramus extraneus & diversæ speciei inseritur trunco, una nempe radice, uno trunco, una arbore, diversos specie fructus proferente.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Deus non potest intrinsecè mutari. Atqui si incarnaretur, intrinsecè mutaretur. Ergo. Prob. Min. Mutari intrinsecè nihil aliud est, quàm se habere intrinsecè aliter, quàm priùs. Atqui per Incarnationem Deus aliter se haberet intrinsecè, quam priùs; fieret enim intrinsecè homo, quod priùs non erat. Ergo. Pro solutione hujus argumenti nota, quòd mutatio sit actus existentis in potentia prout in potentia. Unde, ut aliquid mutetur intrinsecè, requiritur, quòd intrinsecè recipiat ratione potentiæ passivæ terminum mutatione productum. Hoc posito, relictis variis solutionibus ad argumentum, R. N. Min. Ad Probat. D. Maj. (*Hic q. 16. art. 6. ad. 2. & in 3. d. 1. q. 1. art. 1. ad 1.*) Mutari est intrinsecè se habere aliter, quàm priùs, recipiendo in se aliquid distinctum ratione potentiæ passivæ, C. Maj. Purè terminando aliquam naturam N. Maj. ex notamine. Porrò Deus de novo factus est homo, non recipiendo in se humanitatem ratione potentiæ passivæ, sed illam purè terminando absque ulla potentialitate, nihil perdens, nihil acquirens, sed solùm suam perfectionem diffundens, adeoque nullo modo in se mutatus, sed tota mutatione se tenente ex parte naturæ assumptæ propria subsistentia carentis, & divinam acquirentis.

Hanc solutionem tradit D. Th. locis cit. Ubi dicit, quòd, sicut *nulla mutatione facta circa scibile, incipit esse à me scitum per mei mutationem: & similiter dicitur res scibilis non per potentiam passivam, quæ sit in ipsa, sed per potentiam, quæ est in sciente. Sic est in proposito... Ideo Deus dicitur uniri non per mutationem sui, sed ejus, cui unitur; & similiter cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam passivam in Deo existentem, sed per potentiam, quæ in creatura est, ut uniri possit.*

Quorum verborum sensus non est, ut imaginatur Valentia, quòd humanitas sit quid relativum quoad rem, sicut ea, quæ S. Doctor affert hic in exemplum, sed tantùm quoad modum seu denominet Deum ad modum relativorum tertii generis, in quantum scilicet non denominat Deum ratione alicujus potentiæ passivæ in ipso existentis, sicut denominant aliæ formæ absolutæ sua receptiva creata; sed ratione potentiæ passivæ, quæ est in ipsa natura humana ad hoc, ut uniatur Deo, sicut in relativis tertii generis res non dicitur scibilis per potentiam passivam, quæ est in ipsa, sed in sciente. Sicut ergo res scibilis absque sui mutatione per solam scientis mutationem dicitur scita; ita & Deus dicitur homo per solam naturæ humanæ mutationem, eo quòd necesse sit subjectum mutationis esse in potentia ad id, per quod mutatur.

Subsumes. Atqui Verbum est humanitatis subjectum, & non tantùm terminus. Ergo. Prob. Ant. Verbum est habens humanitatem. Atqui habens formam in se est subjectum talis formæ. Ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Maj. Verbum est habens humanitatem receptivè, N. Maj.; terminativè, C. M. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Itaquè habere formam abstrahit ab hoc, quod est eam habere receptivè, vel personaliter, seu terminativè. Habere formam receptivè est esse subjectum illius, secus autem eam habere personaliter, vel terminativè. Porrò Verbum habet humanitatem non receptivè, sed personaliter & terminativè, utpote terminus ejus intrinsecus eam intrinsicè complens & terminans. Repones. Natura humana non potest dici, nec fieri intrinseca Verbo, nisi recipiatur in illo. Ergo. Prob. Ant. Quod est extrinsecum alteri, non potest fieri intrinsecum, nisi recipiatur in illo. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. Potest enim aliquid fieri intrinsecum alteri per hoc solum, quòd ipsi conjungatur per intrinsecam sui terminationem: sic punctum fit lineæ intrinsecum.

Replicabis. Atqui ad mutationem non requiritur unio receptiva ratione potentiæ passivæ. Ergo. Prob. Subsumptum. Si per impossibile Angelus incarnaretur, mutaretur. Atqui tamen ejus subsistentia non reciperet, sed terminaret dumtaxat naturam humanam. Idem dicendum de subsistentia humana, si crearetur separata a natura, & posteà illi uniretur. Idem de anima rationali, quæ in Resurrectione cum sui mutatione unietur de novo materiæ. Similiter, si intellectus divinus terminaretur nunc ad aliquid, ad quod priùs non terminabatur, perficeretur & mutaretur. Ergo. R. N. Subsumpt. ad prob. D. Min. Angelus non reciperet naturam humanam, nec quidquam aliud, N. Min. Non recipiet naturam humanam, sed aliquid aliud C. M. Verum est ergo, quòd subsistentia Angelica in casu impossibili non reciperet naturam humanam, sed eam tantùm terminaret. Verùm cum sit entitas incompleta, & modalis, ex unione ad naturam humanam compleretur & perficeretur, trahereturque ad ejus esse undè ex tali terminatione reciperet, si non naturam, saltem completionem & perfectionem, sicque mutaretur. Idem dicendum de subsistentia humana, si crearetur separata, & de anima in ordine, ad unionem cum corpore. Id verò dici non potest de subsistentia increata, utpote infinita & summe perfecta. Ad id verò, quod additur de intellectu divino, disparitas est, quòd cognitio sit perfectio cognoscentis, sed terminatio licèt sit perfectio rei terminatæ, non tamen semper terminantis, cum per hoc nihil recipiat.

Urgebis. Ipsamet infinitas repugnat huic unioni, seu terminationi. Ergo. Prob. Ant. Infiniti ad finitum nulla est proportio. Ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Ant. Nulla est proportio æqualitatis in esse entis, C. Ant. proportio habitudinis & capacitatis ratione potentiæ obedientialis, qua finitum potest à Deo infinito perfici, N. Ant. Hinc enim, etsi non habeat infinitam perfectionem, habet tamen infinitam capacitatem divinæ plenitudinis susceptivam.

Obj. 2. Deus non potest supplere vices subsistentiæ creatæ. Ergo. Prob. Ant. Subsistentia creata est actus & forma naturam humanam informans. Atqui Deus non potest supplere vices formæ informantis, utpote quæ sit pars, adeoque quid incompletum essentialiter involvens imperfectionem. Ergo. R. D. Ant. Deus non potest supplere vices subsistentiæ creatæ ut informantis, Transeat: ut terminantis, N. Ad prob. dico, quòd licèt subsistentia creata informet naturam, quia ut creata est modus & compars naturæ, id tamen non habet ex suo essentiali conceptu, sed solùm naturam terminare; ut patet in subsistentiis in divinis, quæ naturam divinam terminant absque labe informationis; licèt autèm Deo repugnet ratio formæ informantis, quia forma informans, etsi naturam perficiat, se habet tamen ut pars ordinata ad componendum aliquid perfectius, ut patet in

in anima in ordine ad hominem, qui est quid ipsa perfectius, quod involvit imperfectionem impræscindibilem; non tamen ipsi repugnat ratio terminantis, quippe qui non ordinatur ad totum magis completum, sed naturam potiùs ad se ordinat & ad suum esse trahit, unde imperfectionem non involvit, sed potiùs perfectionem diffundit. Dixi ad primum, Ant. transeat: quia quidam Thomistæ, inter quos Gonetus, existimant, Deo non repugnare rationem formæ metaphisicæ; eo quòd non se habeat per modum partis, ut forma physica, sed tantùm per modum actus & constitutivi, adeoque nullam involvat imperfectionem. Alii tamen non concipiunt formam, qualiscumque sit physica, aut metaphysica, quæ non sit pars incompleta ad compartem ordinata, adeoque quæ non involvat in suo conceptu imperfectionem.

Inst. Deus non potest supplere vices humanitatis, animæ, intellectùs, luminis gloriæ, &c. Ergo nec subsistentiæ. R. N. Conseq. Quia hæc omnia important imperfectionem impræscindibilem, utpote rationem naturæ potentialis actuabilis per subsistentiam, existentiam, aut operationem; item & potentiæ, seu habitus. Secùs subsistentia, quæ importat tantùm ex suo conceptu rationem termini, seu actus terminantis naturam ultrà non communicandam.

Obj. 3 Implicat, secundùm Philosophos, produci effectum omnium perfectissimum: atqui Christus foret talis: ergo R. D. Min. Christus ratione divinitatis foret talis, C. Min. At ut sic non esset effectus, sed auctor & artifex Christus ut compositus, N. Min. Posset enim sub hac ratione à Deo produci perfectior; quia posset produci perfectior humanitas.

Obj. 4. Ex pluribus entibus completis non potest fieri unum ens per se: atqui natura tàm humana, quàm divina sunt entia completa: ergo ex his non potest fieri unum ens per se, qualis foret Christus. R. D. Consequens: ergò ex his sub ratione, qua completa sunt, non potest fieri ens unum per se, C. Conseq. Sub alia ratione, qua non sunt completa, N. Conseq. Porrò ex divina natura, & humana, quæ in ratione naturæ sunt completæ, non fit natura una per se, sed unum suppositum, quatenus natura humana, cum non sit sub hac ratione completa, trahitur ad unum esse & subsistere divinum.

ARTICULUS II.

Utrùm lumine naturali possit demonstrari aut cognosci possibilitas Incarnationis?

Dico. Non potest lumine naturali demonstrari, aut evidenter cognosci possibilitas Incarnationis. Prob. 1. auctorit. Ad Ephes. 3. Incarnatio vocatur *Sacramentum absconditum à sæculis in Deo.* Concil. Toletanum XI. *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile: si exemplo, non esset singulare.* Aug. ad Volus. Ep. 3. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fatemur investigare non posse.* Ergo. Prob. 2. ratione. Hoc mysterium est extra omnem sphæram & omnem proportionem luminis naturalis, etiam Angelici. Ergo. Prob. Ant. Hoc mysterium est omninò supernaturale, nedum in esse entis, seu in sua entitate, sed etiam in esse veri & cognoscibilis, cum nullam habeat connexionem cum aliqua causa, aut effectu naturali, ex cujus cognitione ascendat ad illud indagandum: licèt enim nunquam existeret, aut possibile foret, adhùc res naturales eodem modo forent, quo nunc sunt. Ergo. Quamvis ergo, supposita fide, possit hujus mysterii possibilitas aliquibus rationibus naturalibus probabiliter suaderi, & argumenta in contrarium probabiliter solvi, nulla tamen ratione petita ex naturalibus potest positivè demonstrari.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Articulo præced. probavimus rationibus naturalibus Incarnationem non involvere contradictionem: atqui probare aliquid non involvere contradictionem, est probare illud esse possibile. Ergo. R. D. Maj. Incarnationem non involvere contradictionem, probavimus negativè & probabiliter, C. positivè, & evidenter, N. In solvendis enim contradictionibus & argumentis, quæ proponuntur contra possibilitatem Incarnationis, non procedimus ex aliqua ratione à priori, vel posteriori positivè demonstrativa hujus possibilitatis, vel falsitatis objectionum, sed ex probabilibus tantùm & apparentibus; quod sufficit, ut hoc mysterium non judicetur impossibile, non tamen ut cognoscatur evidenter possibile; quandoque enim, ait Philosophus, falsa sunt probabiliora veris. Undè, solutis omnibus argumentis Infidelium contra hoc mysterium, nemo potest sibi certò persuadere omnes suas solutiones esse demonstrativas, & nullam implicantiam, præter solutas, restare solvendam: quia, cum hoc Sacramentum totam naturam excedat, ut dictum est, nullus intellectus creatus etiam Angelicus illud funditus penetrare potest. Hoc argumentum fusiùs deductum require in *Theol. Billuart.* Pars Tertia. Tract. de Deo Trino. Dissert. Prœem. art. 4. Concl. 2.

Obj. 2. Intellectus creatus cognoscit, Deum esse omnipotentem, adeoque posse facere, quidquid non implicat contradictionem: atqui incarnatio non implicat contradictionem. Ergo. R. D. Min. Incarnatio non implicat contradictionem, & hoc evidenter cognoscit intellectus creatus, N. Et hoc evidenter non cognoscit, C. Quamvis igitur intellectus creatus cognoscat in communi Deum posse omne, quod non involvit contradictionem, non tamen cognoscit distinctè & in particulari, quæ sunt, quæ non involvunt contradictionem; & an de istorum numero sit Incarnatio.

Obj. 3. Intellectus perspicax v. g. Angelicus comprehendit naturam humanam, adeoque priorem esse & distinctam ab ejus subsistentia Ergo, ea subsistentia seclusa, à Deo esse assumptibilem. R. N. Conseq. ulteriùs enim deberet scire subsistentiam divinam absque labe imperfectionis posse vices subsistentiæ humanæ supplere, variasque alias difficultates solvere, quibus, seclussa fide, succumberet intellectus noster. Adde, intellectum lumine naturali certo scire non posse naturam à subsistentia separari posse, aut saltem sine hac, vel illa sibi propria subsistere posse.

Obj. 4. Deus auctor naturæ cognoscit possibilitatem Incarnationis: atqui quod Deus præcisè ut auctor naturæ cognoscit, potest lumine naturali cognosci. Ergo R. N. Maj. Deus enim non dicitur Auctor naturæ, vel gratiæ ex parte virtutis productivæ, vel cognoscitivæ, sed per ordinem ad effectum naturalem, vel supernaturalem: cum ergo ex nullo effectu naturali possit cognosci Incarnatio, non cognoscitur etiam à Deo ut auctore naturæ.

Consectarium.

Ex dictis colliges, existentiam Incarnationis, seclusa revelatione, solis viribus naturalibus à fortiori non posse cognosci; si enim possibilitas vim luminis naturalis transcendat, quantò magis executio, in qua rerum agendarum præcipua difficultas consistit.

Dices 1. Angelus lumine naturali cognoscit, humanitatem Christi non terminari creata subsistentia, cum omnia naturalia cognoscat: ergo divina; nulla enim est alia, quæ possit creatam supplere. 2. Angelus cum intuitivè cognoscat humanitatem Christi, cognoscit eam ut existentem. Ergo agnoscit existere existentia divina: atqui non minùs est supernaturalis existentia divina, quàm substantia: ergo. 3. Dæmones cognoverunt, Christum esse verum Deum & hominem, ut patet Luc. 4. *Scio te quis sis, sanctus Dei.* Et infrà: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Porrò hæc sciebant, non lumine supernaturali per peccatum amisso: ergo lumine naturali. Ad 1. R. Beatis Angelis fuisse revelatam Incarnationem, cum Verbum incarnatum juxta Apost. Heb. 1. orbem terrarum ingrediens adoraverint omnes Angeli Dei: & juxta Luc. 2. festivis acclamationibus ejus nativitatem celebraverint. At seclusa revelatione. N. conseq. argumenti. Etenim boni Angeli, non videntes subsistentiam creatam in Christo, prudenter dubitassent, an sibi illa subsistentia occultaretur ob latentes consilii divini rationes. Ad 2. R. in eadem hypothesi, scilicet seclusa revelatione, N. conseq. Non requiritur enim ad visionem intuitivam, quòd feratur in rem formaliter existentem, seu quòd existentiam formaliter attingat; sed satis est, quòd feratur ad id, quod existit, quamvis ipsam existentiam non attingat: sic v. g. oculus videt intuitivè corpus coloratum, cujus tamen existentiam non attingit. Ad 3. Equidem dæmones potuissent cognoscere mysterium Incarnationis esse peractum ex Prophetiis, quas videbant impleri in Christo, sicut & ipsi Judæi: unde Christus, ut istis probaret se esse verum Messiam, remittit illos ad Scripturas. Joan. 5. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas ::: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*: at ista notitia fundata fuisset in medio naturam excedente, nimirum in revelatione: illud tamen dæmones non cognovisse probabilius est, Deo ex singulari providentia id eis occultante. Ita S. Ignatius Ep. ad Ephesios, ubi dicit Christum esse natum ex Virgine, *ut partus ejus celaretur diabolo.* Idem sentiunt S. Ambros. in c. 9. Lucæ, S. Aug. l. 9. de civit. c. 21. & S. Leo Serm. 11. de passione c. 3. qui hujus providentiæ rationem hanc adfert: quia *si crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei noscere potuisset, Judæorum animos potiùs temperare, quàm injustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.* Eamdem rationem adfert Auctor infra q. 41. art. 1. & opusc. 6. à 1. Undè, quando dæmon Luc. 4. dicebat Christo: *Scio te quis sis, sanctus Dei*: & quando dæmonia clamabant: *tu es Filius Dei*, hoc dicebant exploratoriè tantùm, dubitanter & tentando. Nec refert, quod de Christo dicatur: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Nam hæc particula *Quia* non hic sumitur causaliter, sed his

historialiter & recitativè, ita ut sensus sit: Christus non sinebat dæmones dicere se scire, quod ille esset filius Dei, & benè Christus id prohibebat, quia mentiebantur, cum id revera non scirent, sed tantùm dubitarent & indagarent. Petes, an & quibus revelatum fuerit futurum Mysterium Incarnationis? R. 1. Tertullianus lib. de Resurr. Carnis c. 6. & S. Aug. l. 9. de Genes. ad litt. c. 19. censent, fuisse revelatum Adamo in eo sopore, in quo ex costa ejus Eva fuit formata; & dum dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea... relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: hæc verba prophetico spiritu protulisse de Christo. Et hoc etiam colligitur ex Apost. Ephes. 5. ubi relatis his Adæ verbis addit: *Sacramentum hoc magnum est .... in Christo & in Ecclesia.* Ex quo infertur juxta Apost. Mysterium Incarnationis fuisse Adamo revelatum. Neque inde sequitur ipsum præcognovisse suum peccatum, ad quod diluendum venturus erat Messias; potuit enim absolutè cognoscere illius futurum adventum, ignorato motivo seu fine illius. 2. Certò revelatum fuit hoc mysterium Jacob, ipsumque Messiam ex ejus semine nasciturum, prout ipse vaticinatus est filiis suis Gen. 49. Idem censendum de aliis Patriarchis, Prophetis, & aliis viris sanctitate conspicuis. Illud etiam cognoscere poterant Judæi tàm ex Scripturis, quàm ex Majorum traditione. 3. Ex Gentibus revelatum fuit S. viro Job Idumæo, ut patet ex his ejus verbis c. 19. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Item Balaam Num. 24. ubi prædixit Messiam venturum his verbis: *Orietur stella ex Jacob.* De Sybillis dicemus in singulari Digressione.

DISSERTATIO II.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS CONTRA JUDÆOS.

ARTICULUS I.

Præmittenda de Divinitate Mesiæ.

Per Incarnationem, ut ex dictis pervium est, nihil aliud intelligitur, quàm unio duplicis naturæ divinæ & humanæ in una Verbi divini persona: catenùs autem probamus hanc unionem esse peractam, quatenùs evincimus Messiam advenisse; quia supponitur, Messiam prænuntiatum futurum esse Deum simul & hominem. Ut ergo id gratis suppositum non dicatur; nostræque probationi sua vis & firmitas non desit, necesse est hic præmittere, quæ certò probant divinitatem Messiæ: Undè

Dico: Messias prænuntiatus in Scripturis futurus est non homo purus, sed Deus & homo, cum hominibus conversans. Prob. disertissimis Scripturæ testimoniis: 1. Baruch. 3. dicitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Neque dici potest ipsum visum & conversatum cum hominibus non in persona naturæ nostræ unita, sed miracula patrando: sic enim Baruch nihil singulare promisisset in futurum tempus, si quidem Deus jam antea miracula plurima ediderat. Neque propriè dicitur Deus conversari nobiscum solâ miraculorum patratione, nisi aliquam nobiscum in natura unionem habeat.

2. Is. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Et sic legitur non solùm in nostra Vulgata, sed etiam in Textu Hebraico, in Paraphrasi Chaldaica, in Versione Syriaca & Arabica.

3. Jerem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* In Hebræo pro *Dominus* est JEHOVA, quod simpliciter dictum nulli creaturæ appropriatur, sed illi soli designando consecratur, qui natura verus est Deus. Neque dicas, nomen *Jehova* in Scriptura quandoquè per translationem tribui creaturis. Sic Gen. 22. mons, in quo Abraham obtulit Sacrificium Deo, dictus est *Dominus videt*, usurpato nomine JEHOVA, quia Deus ibi vidit, & approbavit obedientiam Abrahæ. Id, inquam, non obstat; quia ibi mons non est dictus simpliciter JEHOVA, seu *Dominus*, sed cum addito significante aliquam operationem, nempè *Dominus videt*: quare non ipsam essentiam divinam in his rebus inesse significat nomen JEHOVA, sed tantùm aliquam Dei operationem in eis elucescetem: & ita similiter in quibusdam aliis locis, quæ opponuntur. At in eo loco à nobis laudato JEHOVA simpliciter ponitur.

4. Is. 45. *Hæc dicit Dominus: Labor Egypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Hic, qui loquitur, verus Deus est: *Hæc dicit Dominus*; & is, quem alloquitur, est etiam verus Deus in salutem Israel missus, Deus, inquam, absconditus, à nobis adorandus & exorandus, absque quo non est Deus. Quod confirmatur c. 48. *Audi me Jacob & Israel, quem ego voco: ego ipse, ego primus, ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos... Accedite ad me & audite hoc: non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus. Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas.* Hic, qui est rerum omnium finis & principium, cœli & terræ conditor, consequenter verus Deus, se dicit à Domino suo missum in salutem & redemptionem Israel. Ergo verus est Deus de Deo vero.

5. Characteres divinitatis Messiæ tribuuntur in Scripturis, 1. Æternitas: Michææ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* 2. Adorationis cultus ei à Regibus exhibendus, Ps. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei.* 3. Totius mundi imperium: ibid. *Dominabitur à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* 4. Nomen ejus erit benedicendum in æternum: ibid. *Benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra.* Plura alia in eamdem rem Scripturæ testimonia omitto, ne longior sim.

Dices: Deuter. 18. Deus promittens Messiam Moysi dicit ei: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui.* Atqui non esset similis Moysi, sed longè major, si foret Deus. Ergo. R. Messiam ratione humanitatis prænuntiari fore similem Moysi, non ratione Divinitatis. Christum autem nostrum esse verum Deum probatum habes contra Arianos & Socinianos in Tract. nostro de Deo Trino, Dissert. procem. art. 3. Require ibi.

His ergo præmissis, & supposito Messiam prænuntiatum futurum Deum & hominem, Mysterium Incarnationis peractum esse, demonstratum manebit, si Messiam advenisse evincamus. Duo itaque hic contra Judæos à nobis præstanda sunt. Primum. Messiam reverà advenisse. Secundum, hunc esse Jesum Nazarenum. Primum seorsim articulo sequenti probabimus; utrumque simul articulo subsequenti.

ARTICULUS II.

Utrùm Messias advenerit?

Dico: Messias à Prophetis desideratus, à Judæis expectatus, jam pridèm advenit.

§. I. *Prima probatio ex baticinio Jacob:*

Jacob mortui proximus, filiis benedicens, & eis ventura fausta prædicens, Judam sic alloquitur Gen. 49. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, ET DUX DE FEMORE EJUS, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Atqui Sceptrum de Juda & de tota gente Judiaca jam pridèm ablatum est, & Duces ac Principes de ejus femore jam diù desierunt. Ergo venit jam pridèm ille, qui à Deo mittendus est, hoc est, Messias. Minor in propatulo est, non probatione firmanda, sed oculis spectanda & manibus palpanda. A tempore enim, quo Jerusalem est eversa, & templum igne absumptum à Vespasiano & Tito, 36. annis post Ascensionem Christi, gens misera è sua regione pulsa, extorris & projuga ubique sub aliarum nationum imperio servit, omni supremæ potestatis jure & titulo exuta; nec enim leges condit, nec gladii jus exercet, nec monetam cudit, nec bella indicit, nec fœdera sancit,

cit, nec quidquam attentat eorum, quibus est suprema potestas, sed utique alieni juris est, invisa, despecta, omnium ludibriis exposita: & quod Religionem spectat, est sine Templo, sine Altari, sine Sacrificiis, sine Sacerdotibus. Idque totum conformiter ad Prophetiam Oseæ c. 3. *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine ephod & sine teraphin.*

Neque dici potest, hoc ultimum vaticinium spectare tempus captivitatis Babylonicæ, non præsentem statum Judeorum: nàm constat ex l. 4. Reg. c. 25. & 2. Paralip. c. 30. Judæos in captivitate Babylonica habuisse suos Reges & Principes, Sedeciam, Joakimum seu Jechoniam, &c. Item ex 1. Paralip. habuisse suos Pontifices, & inter alios Josedech: Item & suos Prophetas, ut notum est, Jeremiam, Baruch, Danielem, &c. Item & penès eos jus necis & gladii in reos suos remansisse probat judicium Susanæ Adde, tempore captivitatis Babylonicæ plures Judæos Jerosolymis substitisse, qui nomine fratrum suorum captivorum hostias offerebant ad aram Domini, quæ everso templo residua erat. Baruch. c. 1.

Præcluduntur effugia Judæorum.

Nihil non tentant Judæi, adhibitis etiam fabulis & figmentis, ut effugiant vim ineluctabilem hujus argumenti, quo demonstratur ad oculum, jam pridem advenisse Messiam. Itaque

Objiciunt 1. hoc oraculo Jacobæo non designari Messiam, sed quemdam alium, scilicèt vel Moysem, vel Saulem, vel Davidem, vel Jeroboamum, vel Nabuchodonosorem, vel Cyrum. R. ex ipso textu Scripturæ constat, Messiam & non alium designari. Hæ namque duæ dictiones: *Qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, apertè Messiam designant. Prima: nàm quoties *mittendus*, sive *venturus*, simpliciter & antonomasticè legitur in Scripturis, ut hic, totiès Messias designatur. Sic Moyses petens à Deo, ut quantocìùs Messiam mitteret Exod. 4. *Obsecro*, inquit, *Domine, mitte, quem missurus es.* Sic Habacuc. 2. *Quia veniens veniet.* Sic Matth. 11. Delegati Judæorum Christum interrogant: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Similiter his particulis. *Et ipse erit expectatio gentium* passim in Scripturis Messias designatur Ps. 21. *Adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* Ps. 85. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient.* Isa. 2. *Fluent ad eum omnes gentes.* Cap. 11. *Ipsum gentes deprecabuntur.* Aggæi 2. *Movebo gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus.* Et alibi pluriès.

Confirm. ex eo quòd ipse textus Hebreaicus & præcipuæ Versiones indigitent Messiam. Textus Hebraicus, cui tenaciùs adhærent Judæi, sic ad litteram redditur. *Non recedet sceptrum de Juda & Legislator de inter pedes ejus, usquè quò veniat Siloh, & erit ei obedientia populorum. Siloh* autem idem est ac mittendus, seu missus: undè Natatoria Siloè *interpretatur missus* Joann. 9. LXX. Interpretes, & ipsi Judæi sic vertunt: *Non deficiet Princeps ex Juda & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ promissa sunt ei, & ipse est expectatio Gentium.* Hæc verba *donec veniant quæ promissa sunt ei*, quæ ponuntur pro *Siloh* textus Hebraici, apertè significant, donec adimpleantur promissiones factæ Abraæ, Isaac, & Jacob Gen. 12. 26. 28. Messiam oriturum ex eorum semine. Idem habent Textus Samaritanus & Syriacus, sed clarissimè Chaldaicus, ab ipsis Judæis paraphrasibus adornatus, Messiam ex ipso nomine designat; sic enim habet: *Non auferetur habens Principatum in domo Judæ, neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat* MESSIAS, *cujus est Regnum, & ipsum expectabunt gentes.* Sic etiam intellexerunt veteres Rabbini, à Galatino recensiti.

Expendamus modò, quos fingunt Judæi hoc vaticinio designari. Quidam dicunt, Moysem, qui fuit liberator Israelitarum è captivitate Ægyptiaca. Verùm ante Moysem nullus Rex, aut Dux fuit in domo Juda, neque in tota gente Judaica; & post Moysem Respublica Judæorum tempore Judicum, deinde Regum, potentissimos Principes habuit, ita ut istud vaticinium: *Non auferetur*, &c. intellectum de Moyse omnino sit falsum. Adde, quòd Moyses non fuerit expectatio, sed dominator Gentium.

Alii dicunt, nomine *Siloh* in textu Hebraico designari Saulem, eo quòd in urbe Siloh fuerit à Samuele unctus in Regem. At nec Saul ipse fuit expectatio gentium, nec tempore ipsius sceptrum recessit de domo Juda; quin post ipsum in Davide & ejus posteris maximè floruit. Adde Saulem non in Silo, sed in Ramatha, unctum fuisse in Regem 1. Reg. 8.

Alii dicunt, Davidem; eo quòd unctus fuerit in Regem eo tempore quo Arca de Silo sublata est. Sed idem, quod ante post Davidem diu stetit & floruit sceptrum in Juda. Insuper diu antequam regnaret David, imò & ante Saulem, Arca de Silo ablata erat 1. Reg. 4. Alii dicunt, Jeroboam; eo quòd in Silo Rex creatus sit Et hoc falsum; fuit enim creatus Rex in Sichem 3. Reg. 12. Insuper regnante Jeroboam super decem Tribus, non ideo fuit extinctum Judæ Regnum, sed mansit penes Roboam & alios nepotes Davidis. Nec potest dici Jeroboam, sicut nec David, expectatio Gentium.

Alii dicunt, Nabuchodonosorem: sed qua verisimilitudine non liquet. Nam 1. Nabuchodonosor Rex impius & sceleratus non potest dici expectatio, sed potiùs execratio Gentium. 2. Jacob fausta vaticinabatur suis filiis, Nabucodonosor autem gravissima servitute Judæos oppressit. 3. Quamvis Nabuchodonosor Joakimum, seu Jechoniam Judæorum Regem exauthoraverit, Sedeciam ejus patruum Regem instituit 2. Paralip. 36. & Nabuchodonosore mortuo, Evilmerodach ejus successor Jechoniam vinculis solutum solio restituit 4. Reg. 25. totoque Captivitatis tempore permissum fuit Judæis, se suis legibus regere, ut jam dixi sub fine probationis. Alii tandem dicunt, Cyrum, qui Judæos à captivitate liberavit; & ideo Isaias c. 45. vocat illum Christum: *Hæc dicit Dominus*, inquit, *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.* At 1. etsi Cyrus possit dici expectatio Judæorum, quia illos à captivitate liberavit, non potest tamen dici expectatio Gentium, sed potius debellator. 2. Post Cyrum Respublica Judæorum, mutato regimine Monarchico in Aristocraticum, stetit sub Ducibus suæ gentis usque ad Herodem, ut videbimus infrà. Deus autem apud Isaiam vocat Cyrum Christum meum, id est, unctum à me in Regem: alludens ad Reges Hebræorum, qui unctione consecrabantur: sive quia Cyrus erat typus, & imago Christi; imago autem sortitur nomen ejus, cujus est imago, sic dicimus de imagine S. Petri, hic est S. Petrus. Insuper plura dicit ibidem Isaias de Messia, quæ Cyro accomodari non possunt: inter alia; *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

Objectio, seu effugium secundum. Hac prima statione pulsi Judæi, aliò confugiunt: minorem argumenti nostri propositionem universo orbi notam negant, contenduntque Sceptrum apud suos etiam nunc subsistere. Id autem ut probent, fictitia Regna nobis obtrudunt, fabulis nectunt, quibus aurito suo gregi illudunt. In primis Rabbi Benjamin Tudelensis venditat nescio quem *Ætmalotarcham* è Tribu Juda oriundum, quem Judæi Patriarcham appellant, quem in Asia regnare fabulantur. At vetus est hæc fabula, quam Origenes II. Ecclesiæ sæculo jam propalatam exsufflavit l. 4. de principiis c. 1. Equidem non negamus ætate Origenis, ab excidio Jerosolymitano non longè dissita, remansisse apud Judæos aliqua præteritæ auctoritatis vestigia; & quandequè, permittentibus Romanis, jure gladii in suos usos fuisse: at eum de sua gente, sive Regem, sive Ducem, sive Principem, sive, ut isti barbarè loquuntur, *Ætmalotarcham*, negamus: idque nullatenus probare possunt. Temporibus autem Origene posterioribus hæc umbratilis potestas sic evanuit ut nec ubi, sit, nec ubi fuerit, dici possit: sed & ipse Benjamin Tudelensis hujus fabulæ buccinator se ea, quæ narrat, ex auditu tantùm sciré fatetur, unde nugivendum se prodit: idque saniores Rabbini ut figmentum rejiciunt & irrident.

Altera est fabula, Judæos in Syria habere Regnum florentissimum, sed nullum inde nuncium ad nos commeare; quia interjacet flumen Sabbathicum, quod cum sola die Sabbathi sit navigabile, Judæis iter agere illa die non licet. Bellè quidem fictum. At unde ergo illi fabulatores florentissimum Regnum didicere? Aut cur alterius gentis & Religionis nuncios, quibus licet Sabbatho irer agere, hujus Regni incolæ non mittunt, aut excipiunt? Verùm neque nugatores juvat flumen Sabbathicum. Vel enim juxta Plinium lib. 31. hist. nat. c. 2. dicitur Sabbathicum quia sex diebus continuò fluit, septimo quiescit, & alveum suum siccum relinquit: vel juxta Josephum l. 7. de bello Jud. c. 24. dicitur Sabbathicum, quia Sabbatho fluit, sex verò diebus paulatim decrescit, & tandem arescit, donec recurrente Sabbatho, iterùm more solito fluat. Utque autem res se habeat, facile fuerit fictitiis illis Judæis trans illud habitantibus ad nos commeare. Sed quidquid fuerit antiquitùs de isto fluvio, nullus hujusmodi nunc videtur in Syria.

Succurrunt alii circulatores. Quidam dicunt, reliquias decem Tribuum, quas Salmanazar Assyriorum Rex in captivitatem abduxit ante Christum 721. partim in Æthiopia, partim in Asia, regna obtinere, sed mœnibus igneis circumsepta. Ità Rabbi Simeon Jalent. E contra Thalmud Jerosolymitanum eas collocat regnantes in America, sed nubibus expansis protectas, & à cæteris mortalibus separatas. Rabbi Abraham Perizol aliquos Judæos sceptra tenentes versus Orientem locat, sed montibus immensis conclusos ostendit. Ità ariolantur nugarum venditores, quibus suos gregales pascunt. At dicant velim, si isti Judæi regnantes, vel mœnibus igneis, vel nubibus expansis, vel montibus immensis à cæteris mortalibus sint separati, qua arte nuncii ex his Regionibus inaccessis ad ipsos pervenerunt, ut scirent, quæ nobis venditant? Apage putidas fabulas, quas diutiùs refellerè pudet.

Instant quidam, Judæos, si non re & actu, jure saltèm adhuc nunc Regnum obtinere, cum per injuriam à Romanis eo spoliati fuerint. R. 1. hac interpretatione semel admissa, nullum erit